


ANN. XVI - FASC. VII


MENSE IULIO MCMXXIX

ALMA ROMA

LIBERIA VATICANA
MURARUM
EDITIONES
CENSUS
BIBLIOTHECA APOSTOLICA
VATICANA
LIBRIRIA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facili, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 350 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 700, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVI

Romae, Mense Julio MCMXXIX

Fasc. VII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXIX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

De latinae linguae studio¹

III.

Ad latinitatem assequendam multum interest quo ordine et qua methodo classicos auctores legere instituamus; sunt enim multi libri, qui nunquam intelliguntur, nisi multa cum intensione animi et accurate observatione lecti fuerint prius alii, qui stilo planiori ac facili res captui magis accommodatas comprehendunt. Bene dicendi comparandae facultati nihil magis obest, quam tumultuaria, neque secundum eius partes ordinata lectio. Non commiscendi sunt valores diversi, atque etiam characterum variorum auctores. Alioqui nullam stili puritatem, aequalitatem aut dignitatem nobis promittere possumus. Probe distinguendae sunt, quibus quique scripserunt aetates. Sunt praeterea certi sermonis notae, in ipsa etiam aetate optima, unde latinitas dignosci debet. Non omnibus argumentis phrases convenient omnes; quas forma dicendi quaque sibi peculiares vindicat, alias sublimis, alias intermedia, alias tenuis. Dispiciendum ergo, quae convenient familiari et interrupto sermoni, sive dialogis; quae comico, facetio, ad risum composito; quae satyrico, quae historicō,

quae philosophico: in illis enim omnibus, ut magnificentia vel tenuitate se distinguunt, faciem orationis omnino diversam deprehendens. Quamvis procul dubio sit ab illis scriptoribus incipiendum, qui ἐάκην, atque adeo in ipso Latinitatis maximo flore vixerunt, aut ei fuerunt proximi, non tamen a Plauto, aut Marone, aut Tacito, aut Iuvenali, multo minus a Persio, prima latinae linguae notitia haurienda est; sed ab illis qui in optima aetate res intellectu faciles facili stilo descripserunt. Praestat tyronibus primum tradere vitas imperatorum, consignatas a Cornelio Nepote, qui lectu intellectuque omnium facilissimus, omnium nitidissimus, ad formandam latinitatem sumendus in adolescentia, ast vero, vel nunquam, in ipsa senectute relinquendus est. Ita prudenter incipendum a facilissimis, ut paullatim, et ordine, ad difficiliores accedamus. Alioquin - ut Iustiniani verba hīc usurpem¹ - si statim ab initio rudem adhuc et infirmum animum studiosi, multitudine ac varietate rerum oneraverimus, duorum alterum, aut desertorem studiorum efficiamus, aut eum magno labore, saepe etiam diffidentia, quae plerumque iuvenes avertit, serius ad id perducemus, ad quod leniore via ductus, sine magno labore, et sine ulla diffidentia, maturius perduci potuisset.

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Aprilis.

¹ Instit. § 2: *Dē iustitia et iure.*

Sunt qui primos puerorum in grammaticis rudimentis haerentium conatus epistolis Ciceronianis, Vergilianis gravioribus Aeneidos libris, atque ipsis Horatianis versibus, aut simili quopiam elegantioris Latii scripto faligant; quasi sufficeret illum esse optimum, qui proponitur. Enimvero in omni disciplina iuventutis considerandi sunt fructus, qui nonnisi facilitate commendata obtinéri possunt. Facilitas autem, quam desideramus in classicis auctoribus, ex duobus praecipue oritur, ex argumento ipso, et dictione, qua illud pertractant. Res ad vitam communem pertinentes, et illae, quae non minus hodie fiunt, ac olim fuere, prae ceteris intellectu faciles sunt. Quo pertinent rerum gestarum et eveniūtum, ut etiamnum saepe numero fiunt, enarrationes, affectuum descriptiones, quos, vel exemplo suo, mortalium quoque experiuntur satis; et similia, quae nihil nimis inuisitatum prae se ferunt. Et si quotidiano sermone et propria verborum significatio, atque ita stylo plano, neque strutura duro, neque ambiguis vocibus labore rante efferruntur, non possunt non omnibus arridere statim et gratum fixamque sibi, nullo fere negotio, in tyrunculorum animis sedem parare. Id vero, si quid sentio, praestant ubique Cornelii Nepotis historici et P. Terentii comici, scriptorum elegan- tissimorum sufficienter nullis elogiis commendanda opera; quae, quod latinam puritatem et venustatem prae se ferunt maximam, vel ad facilitatem captumque iu- niorum mirifico temperamento accommo- data et bene composita sunt, in manibus semper et in memoria teneantur: imo propter omnium facillimam vocum proprietatem et phrasium nitorem, perpetuis eorum imitationibus propositis, penitus in succum et sanguinem vertantur.

Quod si quis malit ab Ciceronis epistolis latīnae capere primordia linguae, ex illis faciliores tantum excerptat, quae cum stu- diis, captu et inclinationibus convenient.

Reliquae profectibus adultiorum serventur. Vel etiam, ex Ciceronano opere universo, pro iunioribus colligantur narrationes et historiae iucundae, loci communes et aliae particulae, quibus animi possint mature ad dictionis Ciceronianaē amorem imbuī.

Hi, meo iudicio, auctores initio tyronibus sufficient, quos male aliquando praceptores librorum multitudine obruunt; eosque plura, ut parum intellecta, quam pauca, et ea satis clare percepta, legisse malunt. Per huiusmodi homines saepe factum est, ut spretae sint litterae, quum tantis difficultibus septae viderentur, ut fructus cum incommodis nunquam aequiparari queant.

Mihi enim iustum et suave semper visum est Quintiliani monitum, in primis cavere oportere, ne studia qui amare nondum potest, oderit; et amaritudinem semel perceptam, etiam ultra rudes annos resor- midet.¹ Consideranda equidem est, inquam, in omni iuventutis institutione, cum argumenti conditio, tum captus discentium, ut sine molestia discant, quaeque discun- tur, neque sero percipient, neque difficulter retineant. Quod fieri solet, ubi ingenii invitis aliiquid obtruditur. Ut vero artes et disciplinae firmiter haereant, ante omnia placere debent ea, unde profectus petitur. Atqui vero ad hunc usum accommodata sunt, iterum iterumque omnibus commendanda, opera selecta Tullii, Terentii, Cornelii Nepotis, qui praesertim, ut est castae tersissimaeque orationis artifex, gratam ita refert semplicitatem, ut nonnisi viro- rum gravissimis argumentis respondere videatur. Res imperatorum praecclare ges- tas describit naturali et illaborato contextu, verbisque desumptis ex usu quotidianio potius, quam e doctorum scholis; ita tamen, ut nemo non miram exprimendi dexteritatem, congruentiam et elec- tionem subesse, statim observare possit.

Ita iuventutis corporis reordino I. N. F.

¹ *Instit.*, I. 1, c. 1.

De nimio studiorum labore in adolescentibus

Non semel, tum a magistris scholarumque moderatoribus, tum a medicis vel philosophis una est audita querela, per quasvis terrae regiones hodiernae humani- tati atque sapientiae subiectas, sive pueris, sive adolescentibus aut iuvenibus studiis operam dantibus detrimentum va- letudinis et ingenii contingere, vel immi- nere gravissimum; idque ex refertis nimis atque late congestis studiorum argumentis gigni, quae aetati impar onus ita efficiant, ut sive militiam relinquere initam brevi tirones cogantur, sive ea exacta, imbecilli ad quaslibet ulteriores investigationes vel altiora studia reddantur.

Iam ab anno 1861 mirabatur Herbertus Spencer non tam de infaustis tot malis, quae ex scholarum disciplina exsurgebant, quam de mira iuvenum virtute, qui ea tolerarent impune; optime autem Ioannes Forbes, infausta experientia edocitus, recentioris scholarum regiminis hos praeci- piuos esse fructus animadvertebat, virium debilitatem, pallentes vultus, infirmam plerumque valetudinem, ipsiusque mentis praejudicia haud leviora. Adolescens enim nimis notionibus, quam deceat aetatem, quasi vi refertus, congenitam sibi aciem brevi remittit, quum - idque Spencer sa- pienter notabat - optima sit computatrix natura, quae quum hinc videat se nimis oppressam obrutamque, ita ut vires insuetas impendere ad onus cogatur, mira fide- litate inde detrahit.

Nemini itaque obliiscendum, hominum vires pro quavis aetate esse certis limitibus definitas, quas iuvat proinde prudenti et congrua exercitatione roborare; ea tamen lege, ut nec paullulum quam par est exer- citationes ingravescant, nisi periculum

consumptionis quam proxime placeat im- minens videre. Inde pluribus huiusmodi morbis attenuata cerebra panduntur, *yper- restaesiae* praecipue et *neuropatiae*, cui cetera addenda, et oculorum acies amissa, et vertebrarum in tergo inclinatio, et capitis atque cerebri dolores acerbi.

Haec quidem a clarissimis medicis in Germania inquisita et pronunciata; exempla enim illic frequentia histericorum, hebetum melancholicorumque prolata pas- sim sunt, neque in ipsa nostra Italia non lugenda sunt. Nonne plures novimus fuisse et esse adolescentes, qui baccaleu- rum vel aliud gradum academicum non consequuti, quin etiam studiorum vel mi- nore periculo non superato, mortem sibi ipsis miserrime conciverint vel homicidae facti fuerint?

Quibus perspectis, saepius conclama- tum est, ut opportuna aliqua lex fieret, qua, ante media, quae dicuntur, et altiora studia ineunda, delectus quodammodo ti- ronum indiceretur, prout in militaribus assolet, atque inepti omnes, acie ingenii vel nimis imbecillis viribus, repellerentur, ne maiorem sibi noxiā studiorum labore irrogarent.

Verum ex ipsa studiorum ratione re- medium deduci posse existimamus. Nunc enim, quum illud haud satis firmatum sit, num veterum potius disciplinis philoso- phiae et litterarum, vel novis, ut, puta, recentiorum linguis, mathesi vel naturae investigationi operam dare oporteat, haec ratio adhibetur, cumulandi in unum et indi- gesta mole adolescentibus omnia propo- nendi, ita sane, ut, exacto aeri labore primo studiorum curriculo, quum athe- naeorum ingressus pateat, defatigata iam nimis ingenia et vacua, et cuiusvis disciplinae delibatione fastidita, ad altiora pro- grediantur. Nec mirum: nullus namque faber neque murarius artifex est, neque agricola, cuius labores tam diu, quam

primaे nostrum iuventuti, sive domi, sive

per collegia quotidie producantur. Quibus ferme non raro, si tempus quod scholis insumitur aliud superaddatur, quod in studium domi impendere oportet, facie ad decimam vel undecimam horarum summam perveniemus.

Nihilominus, nisi defatigatio nimis prohiberet, ne tanta quidem in die consumpta exponere, vel memoriae mandare, vel retinere omnia licet; quare nonnullos non immerito improbantes audivimus, deesse passim hodiernis iuvenibus eam inventionis aciem ac nervum illum, ut quaestio nem unam eandemque fixa quadammodo mente et diu meditentur; tempus enim ipsum in tota acta distributum, singulis disciplinis et propositionibus deest. Sane quidem pernicios studiorum tructus sibi evasisse plerique lugent, et ex elata tantis laudibus ac praeconiis hodierna eorum ratione nonnisi imminutas ac laborantes mentis vires, et ignotum quoddam de studiis omnibus taedium sese retulisse.

Equivit igitur?

Continuo scienterque studiorum rationi providendum, nisi novam nepotum sobolem imbecillam passim atque hebescensem gratum videre sit.

R. S.

De certamine poetico latino

Locris in Bruttis a Carmelo Triumviri constituto

Accepimus, et libenter edimus, dum sociis nostris clarissimis VINCENTIO POLIDORI et JOSEPHO MORABITO ex animo gratulamur:

Superioribus Idibus Iuniis ita relatum est de XXXII carminibus mature ad certamen poetico Locrense ann. MCMXXVIII missis:

Statim seposita sunt duo carmina: *Terrae filius*, quod certum versuum nu-

merum excedebat; et *Resina, sive Herculanum excidium*, quod manu scriptum erat.

Pessima visa sunt, et omni certamine indigna, quippe quae non modo inventionis exilitate laborarent, sed etiam linguae et metri multis scaterent erroribus, carmina, quorum tituli: *Maecenas, Ad Vergilium, Pallas*.

Minus improbanda, sed alia poetico adflatu parentia, alia mendis gravibus dedecorata, alia vero nullius inventionis gratia commendata, quaeque ita recensentur ut, quod posterius ponitur, melius habeatur: *Hora Dei, Isacides pastor, Vaticanicum et Quirinalis, Hirundini, Verna voces, In Iesu Christi nativitatem, Puella mendax, Romana virtus*.

Quae sequuntur octo nonnihil animos iudicium detinuerunt: *Agatha virgo martyris, Mundus sublustris, Extremum iter Portae, Violata fides, Libellus Properti, Crux Capitolina, Sancti Francisci obitus, Septimii Severi somnium*; quibus carminibus nonnullae sive inventionis, sive obscuritatis, sive ponderis cuiusdam, nonnunquam etiam grammaticae labes officerent.

Id genus mendis vacare et, quamquam non omni ex parte satis faciebant, tamen in limine laudis posita sunt quinque: *Malmgreen, Leoni XIII, Bellica sepulcra, Ultima nox, Hirundo et Virgilius*.

Laudanda visa sunt, quamdam inventionis iucunditatem, sermonis elegantiam, versuum dulcedinem prae se ferentia: *Ultima Bacchi sedes, Pan et Syringa, Sanctum Mare Nostrum, Strongyle*; quae, apertis scidulis, cecinus vidimus Quirinum Ficari forumliviensem, Vincentium Polidori aretinum, Carolum Vignoli romanum, Iosephum Morabito rheginum.

Paulo plus tamen haec duo placuerunt, quae ideo *Magna Laude ornata sunt: Mater et filiola* (V. Polidori) et *Laertia-*

des (I. Morabito), poeticae quidem artis plena, omni scribendi virtute praedita, lectu iucundissima carmina. Nullum tamen carmen aureo praemio honestandum iudices censuerunt

Ad novum certamen cives et peregrini invitatur, his legibus:

I. Ne carmina L breviora neu CCC versibus longiora sint, neve prius edita aliove ex sermone translatas.

II. Ut Britannico portatili prelo, seu machina ad scribendum, nitide sint impressa; sententia munita, quam obsignata scidula carmini adjuncta, poetae nomen et domicilium continens, prae se ferat, hac inscriptione: *Al Direttore del Collegio «Principe di Piemonte», Gerace Marina, Calabria (Italia) prid. Kal Mart. MCMXXX* mittantur.

Tres viri poësis latinae, quam qui maxime peritissimi, de carminibus tempore missis, post tres menses referent, omnium optimo praemium decernentes aureum numisma mille italicarum libellarum egregio artis labore perfectum, et pariter magna, quae dicitur, *laude digna*, si qua videbuntur, addito insuper diplome, ornabunt. Carmina sive praemio sive laude ornata in ius Conditoris certaminis cedent.

Datum Locris, in Bruttis, xiii Kalendas Quint.

a. MCMXXIX.

EX HISPANIA

Artium recentissima quaeque Barcinone proposita.¹

Ad eorum sententiam libenter accedo asserentium nullum diem pulchrius urbi Barcinoni enitusse quam hunc, quo maximo apparatu regiaque pompa ianuae ad

¹ Cfr. fasc. sup. mensis Iunii.

Internationale certamen primum apertae fuere, nullumque alium eventum unquam ibi magnitudinem splendoremque prae se tulisse parem, nec amplam denique civitatem maiori unquam iucunditatis superbique luxus copia fuisse agitatum. Unde potenti urbi tantum et fortuna et gloriae et dignitatis additum est, ut vix credibile sit id clarissimi patefieri posse quam hoc praeclarissimo factum, quod hac die in historico Iovio Monte (*Monjuich*), fortissimo quondam in patriae hostes praesidio, augustiore ritu celebratum est. Ita loquor ut in animo infixum habeo.

Igitur qui rogati erant invitationibus, pedem poterant trans ponere limina et intragredi in speciosas aedes, quae olim a Columnis, nunc a Maria Christina suum nomen accipiunt. In harum atrio quinque mali, seu antennae, sublimiter adsurgunt ad aethera, in quorum supernis cupidibus expansa medias fluitant per auras vexilla Hispaniae, Exhibitionis et Barcinonis..; in reliquis vero et infinitis malis aliarum etiam gentium signa flammigant, quae vel ratione boni communis, vel privati, huic nostro certamini adsunt.

Omnium, qui hanc inusitatam rem acri atque attento animo inspexerunt, est de ipsa sermo summa cum laude coniunctus, plenoque ore eventum collaudant, qui omnes, eum contemplantes, magna sui admiratione afficit. Itaque in annum induxi meum, bona cum venia vestra, ingenui *Almae Romae* lectores, dum me sermone latino, qui iter monstrat ad omnes disciplinas expeditissimum, scribendi ratione exerceo, quidquam summatim dicere de re, cuius famam merito nullum temporis spatium circumscribet. Sed nebulas ne diverberem, dicendi initium sumo.

Verna dies aethera mulcebat amoena, blandaque viridantis lux Maii ingenti alacritate ferventiorique animorum igne effervescebat. Eximiae aedes, in quibus recentissima omnium artium genera propo-

nuntur, magnifico aplustrium ac vexillorum ridebant ornatu; viae publicae, quae humana flumina videbantur; militares copiae; rauisque euntes et redeuntes undaque automobiles currus ad amplissimum, quod urbem omnem conciebat Barcinonem, spectaculum invitabant.

Adventum regiarum personarum ad limina tectorum praestolabatur supremus praeses Consilii, Demarchus ab Estella; Demarchus a Foronda, rebus proponendis dantium operam moderator; Administer a negotiis publicis; Moderator munerum publicorum; Administer a relationibus rerum exterarum; Praefectus aerarii; Rei navalis praeses; Magistratus; Administer ab Institutione, a Labore; Supremus militum Catalauniae dux: urbis Praetor; Praeses provinciae; Praepositus *Domus* triumvirorum, ceterique, orationem ne longius ducam, quam mea voluntas fert, qui valent auctoritate plurimum, et, deinde, Ioannes Montaner, qui est a secretis.

Omnis regii obviam personis approximantibus processerunt, additique regiae stipationi, Palatium vis electricae una petivere, in quo Rm̄us Episcopus Barcinonensis, Dr. I. Miralles, sacro adstante Canonicorum Collegio, sollemni ritu Certamen sancta affect benedictione, sollemnique preicatione lustravit.

Continuo regia stipatio, stridentibus curibus automobilibus, redolentibus tectam floribus viam, qua ad *Palatium Nationis* itur, superbum aedium mole, luxuque gazaque, brevi tempore metitur. Palatii ianuas reseraverunt seduli apparitores et vigiles ianitores magnifici tecti, festiva coloris formaeque adsignatae sibi veste induit. Ampla vestiaria apposita fuerant iuxta ianuas. Venustissimus tapes, acu miraque arte laboratum, ad pulcherrimam aulam interiore ducebant, qua vehementi intuitu sensus videndi tractus vel laedi videbatur. Enitebat intus ibi aureum solium augustum

regi, reginae regiaeque proli occupandum, supererectum instrato solo, quod ditissimum ornabat peristroma sericum rubri coloris, sub laqueato tentoriolo eiusdem coloris, in quo scutum Coronae Hispaniae, auro celatum, resplendebat. Quattuor exquisiti tapetes Regiae Domus, versicolori texture spectabiles, et ante oculos res biblicas proponentes, regium solium exornabant. In pergula magnifici conclave, non procul a solio regis, assurgebat tabulatum municipali musicorum coetui deserviens, ex quo sericum vexillum hispanum pendebat, cuius varii sinus super regio tentoriolo quiescebant. Praeterea cetera tabulamenta splendidis regionum provinciarumque Hispaniae emblematis circumcluebant. Tabulatum, ante ianuam praecipuam positum, ostentabat pulcrum tapes armis regiis honestatum; tabulatum vero trans oppositum, aliud dives tapes, scutum exhibens Barcinonis, commenstrabat.

In quattuor peristromatis angulis, quo locus expeditior SS. MM. adsignabatur, custodiarum munera obibant quattuor satellites, singulari sibi adsignata veste ornati, quiri romana instructi, et denique lectores quoque municipales aderant. Amplissimum spatium, quod extra praedictum peristroma supererat, in solo pretiosis lignis constrato, clarissimis invitatis occupandum relinquebatur. Subsellia collocata fuerant in parte dextra laevaque regii throni, quae praeclarissimis quibuscumque viris, titulis seu regiis, seu pontificis, seu exterarum gentium, vel honorificis crucibus eximie condecoratis, vel denique singulari quodam egregioque munere vel in re publica, vel in provincia vel in municipio fungentibus, ordine occupanda erant.

Clarissima tot virorum nomina (sunt aliunde innumerabilia) videtur mihi non expedire his mandare lineis; si vellem singula recensere, scio profecto nullum

finem me habiturum esse, in ipsisque mediis laudibus defuturum. Iucundissimum tamen est animadvertere eximos viros, qui nobile legati munus exsequabantur, peculiari in loco sedere. Nam in aperto est multum ingenuae nobilitatis in honestos hospites qualescumque decus semper in hac Civitate claruisse. Equites palla induebantur, seu veste peculiari formae colorisque eidem adsignati, cum suis honorum insignibus; feminae vero qua ueste in festis sollemnioribus uti in aula regia dominae solent.

Quum rex eiusque cohors illuc advenissent, statim artium ex universo orbe exhibito maximo ritu inaugurata fuit; quem permirum actum in fasciculo sup. mens. Iunii, quasi vivis coloribus depictum, ante lectorum oculos subiicere sumus conati.

In magnis temporis angustiis vessor, ut de gravibus politisque orationibus ibidem habitis eloqui queam, et de mechanicis ac illiberalibus artibus, quae admirabilis copia in magnificis aedibus continentur; quum se mihi occasio offerat id praestandi, non invito animo, Deo bene iuvante, faciam.

Vici Ausetanorum.

I. FONTS.

MONITUM.

Ut iam assuevimus, fasciculi Augusti et Septembri mensis in unum prodibunt, qui primis Septembri mensis diebus edetur.

Per idem tempus elenchi sociorum recognitio fiet, deque eorum numero delebuntur qui ab aliquo tempore pretium subnotationis suae solvere omiserunt. Qui igitur in hac conditione versantur, ne cunctentur rationes suas nobiscum exaequare.

NIL MORTALIBUS ARDUM EST¹

*Ratum dolorum tangere vertices
Vident Amundsen litore Nerigi
Salvere cives fronte firma
Et rapidis dare vela ventis.*

*Divi potentes, qui mare temperant,
Terrisque praesunt numine dissitis,
In parte caelorum remota
Concilia coeunt tremendum.*

*Vix ut quiescunt scama per aurea,
Deus dolorum magnus et horridus
Frontem gelu, sic orsus: «Ergo
Subiicient quoque tempa mundi?*

*Naves per undas undique transeunt;
Carrisque findunt viscera montium;
Filo loquuntur; fulmen arcent;
Aetra secant volitante cymba!*

*Mortalis immortalia temperet?
Sumamus iras, bellaque perfidis
Cuncti feramus; vi supra
Quisque suam det opem triumpho».*

*Dixit: tridenti miscet aheneo
Neptunus undas; liberat Aeolus
Ad bella ventos: mugit aether,
Et resonant nemora alta nimbi.*

¹ Hac ode, quae in certamine Ruspantiniano inter probatores habita est, prima expeditio in polum Antarcicum, Rolando Amundsen et Humberto Nobile ducibus, canitur.

Vix in praesagium innuit altera polaris aerumnna, duetu Nobilis et Sociorum effecta, qua praeter aspera poli, demissio in verticem Crucis et Patriae signo, bis volatum est.

Redeuntibus victoribus turbines immanes obsterunt; quibus allisa navi in glaciem, ex aeronautis quidam perierunt; quidam vulneribus caesi, post infandos labores, in patriam remigrarunt.

*Iactata classis per mare turgidum
Clamat reluctans: iam premur nece;
Linquenda res! — Atrox Amundsen
Per medios iubet ire nimbos.*

*Victor sonanti pulsus ab aequore
Tentata transit per vada Berica;
Extrema terrarum salutat
Per glaciem gradiens geluque.*

*Numen polarum praelia nebulis
Ventisque miscet; litore squalido
Ursi nivales, monstra ponti
Excidium minitantur atrum.*

*At vi suprema clara virum manus
Antarcticas iam consequitur plagas;
Ilo canunt; vexilla figunt,
Et patrias remeant ad oras.*

*Fatale regnum tunc violabile
Numen tremendo fulmine percutit
Irasque fundens, arcticisque
Culminibus sua regna ponit.*

*Securus adstat sede, silentia
Cum rumpit ictu praepete machina!
« Hostis redit, clamat; superbum
Vertice pricipitem ruamus ».*

*Tunc versus aether, tunc nive turbines
Horrenda ventis praelia commovent;
Nautae remigrant puppe fracta
Et laceri positoque vultu.*

*At mox, Amundsen impatiens morae,
Ferri volatu mente agitas novo;
At sospes ut vincas oportet
Italiae sociare Numen.*

*I vir latini gloria nominis,
Humberte, nisus ductor et artifex,
Per damna, per ventos et imbres
Fige polo patriae trophaea!*

*O clara virtus Itala, gentium
Lux alma, nisi semper in asperos
Parata casus; perge, mater
Usque virum, dare iura mundo.*

*Huic comparandus non labor Herculis
Non aggerentes culmina montibus
Turmae gigantum! O maior aetas
Viribus omnigenis potita!*

*Nunc occupata, quae manet ultima,
Tellure, rebus temperet omnibus
Mortalis; effractosque luctis
In populos nova saecula currant.*

ANGELUS NARDIS.

COLLOQUIA LATINA

Peregrinus in Urbe.¹

II.

Altera die, post prandium, idem prope hospites, qui amicitiam secum mutuam iniisse videntur, eodem fere convenient, et familiariter de Urbis rebus disserunt, et, animi causa, recentiores ephemeredes cupide quaerunt et silenter lectitant

Quae rerum linguarumque multitudo! Omnium enim propemodum gentium Commentarii h̄c sunt, et quasi de composite in hunc locum conferuntur, et alii alia causa lectoribus commendantur.

Ephemeredes tamen gallico sermone conscriptae non modo numero sunt superiores, sed etiam auctoritate. Haec, Luteiae Parisiorum edita, facile inter omnes princeps aestimatur, namque gravitate maxime emicans, non modo ob rerum abundantiam, sed et ob nobilem quamdam elegantiam atque peculiarem novitatem, lectorum manibus adsidue teritur. Quodque caput est, et ipsae elegantiores matronae, quas saepe cum Sacro Mariae Virginis Rosario precantes adspicis, rerum consuetudine abreptae, hunc Commentarium praefuerunt, ad sydera tollunt, in cuius sententiam maxima auctoritate iuvare adsolent.

¹ Cfr. fasc. sup.

Hic enim prae ceteris placet modo ob quoddam verborum lenocinium, cui semper auctores nimius indulgent, modo ob sententiarum levitatem, qua et vitia temporum et Parisiorum conditam curiositatem vellicant. Sic facile matronarum mentibus error infertur, et ipsa impietas suavissimis veluti balsamis imbuta, plerumque melius placet, animosque pervadit. Et spiritus ille vivax gallicus, qui in primis sapidus, idemque sagax, salibus identidem indulget, atque generosa quadam bile exardescens, perditos hominum mores acerbius perstringit. Sed quo bono? Subridunt et malitiam atque improbitatem commendant.

Ad haec, constat inter omnes, in praesentiarum generosam Gallorum nationem a religiosa quoque discordia dilacerari: utinam vero prudentiores saltem homines in unum consilium studio pacis coalescent, omnibus propriis posthabitis consiliis ad communem patriae salutem concordia uno omnium spiritu ad pacem contenderent!

At, perverso quotidiano iudicio cives illecti, omnes miserrime in patriae pernicem dilabuntur. « Omnes hoc malo plectimur », dicunt! Franciscus Petrarca, qui inter vivendum in dishonestis rebus totus esse videbatur, in carmine quodam suo, dum Africam describens, ab erroribus pressam ac dilaceratam populis ostendit, maestus in hanc ivit sententiam: *Si Africa luget, Italia non ridet!*

At in praesentiarum, quae rerum animaliumque differentia! Si de Gallia sermo est, — aiebant elata voce complures, — vel post tetterimum bellum, nulla est in illa requies, omnisque natio, discordiis maxime vexata, nova semper quaerit, et ipsa religio, quae olim florescens cuncta in pace conquescebat, praesenti tempore nonnullorum impotentia atque superbia, in supremum christiani nominis magistrum adsurgit eiusque non modo consilia,

sed et imperia parvi pendet atque in derisionem obrobriumque considerat.

Ad haec aliis alio consilio rem publicam obtinent, atque animi audacia cunctis dominantur, et quo volunt animos omnium impellere nituntur. Tunc, in aestu dicens, omnes quasi simul colloquentes clamat:

« Oh! si haberent Ducem!

« Oh! si Pontificem Maximum ut Magistrum et in rebus publicis prudentes prosequerentur!

« At nunc vel qui acrioris iudicii viri passim reputantur, mille perversis consiliis abrepti, confusione ducuntur, atque discordes in varias partes prave dilabuntur, et ephemeredes, horrendo quasi iuramento adlectae, iusti rectique

*vestigia cursu
Impediunt, texuntque fugas et praelia ludo.*

Quum omnium mentes animosque discussio agitaret, vir quidam aetate confisus potius quam auctoritate, manu tenens diurnum quod maximi iudicii creditur, dicit: — Malis, quibus Gallia cruciatur, opportune medicinam parabo!

Hisce dictis, magnum silentium sequitur, et omnes ad loquendum novum hospitem rogant atque exhortantur.

Qui, hanc nactus opportunatatem, profusis verbis atque veluti exultans, sic est praefatus: — Gratiae sint vobis maximae actae. Quam recte dicerem: « Aspice, ventosi ceciderunt murmuris aurea! »

Ad rem citissime veniam.

Si Gallia vult denique pace perfui et concordia, ad veterum exemplum in primis redeat. En in manu responsum.

Ad peregrinorum laevam, qui primum in Urbe viam Cavorri ingrediuntur, obvia est Ecclesia Sancta Mariae cognomento Maioris, tum ob antiquitatem, tum ob amplitudinem ac venustatem. Est quoque omnium celeberrima, picturis et statuis pulcherrimis exornata. Verum ante ipsum

templi ostium, in parva euidem area, adest brevis marmorea column, cui supereminet Crux, quae clarum est atque immortale rerum gestarum monumentum. Labente enim anno quingentesimo quinto et nonagesimo supra millesimum, Henricus IV, post diurnas asperrimasque civium discordias, in urbem Parisiorum tandem pacataim, incredibili Galliarum laetitia, triumphans invehitur.

Ipse vero paulo ante ad obtinendam pacem, Calviniana haeresi repudiata, se se ad Romanam veritatem conferre publice statuit. Ita sine mora, ne quis ei obiectaret: «Causando nostros in longum ducis amores.», suis rejectis pravis de religione sententiis, candide ad S. Petri sententiam configit.

Adversarii autem nullam verbis suis fiduciam praestabant. Lutetia enim Parisiorum «provincia dives, diceret Tacitus, et parata peccantibus», et ipse in omnem aviditatem pronus. Henricus vero hostilibus animis et cum magnis copiis, ad pertinacem urbem, Galliarum caput, festinanter contendebat.

Tenax utrumque animorum impetus, et furoris ignis hinc inde in immensum cresceret. Hic pro libertate pugnatur, illic pro imperio legitime acquirendo asperrime luctatur. Haud abs re, Vergilius diceret:

*Quantos ille virum magnam maiortis ad urbem
Campus aget gemitus!*

Verum Parisienses alacres currunt ad arma et vim vi repellere student, eo potissimum consilio ut se a servitute vindicent.

Adsunt hinc inde ingentium copiarum cohortes, et rabies arma ministrat. Actum esse videbatur de Gallorum regibus et de ipsa natione, nisi extitisset Clemens VIII Pontifex Maximus, qui mitissimi ingenii pacem binis pugnantium cohortibus suadendo, in universam late Galliam est dominatus.

Tunc Henricus, pacatis animis, in regnum restitutos, primum publice, admirantibus omnibus civium ordinibus, sacro interesse, die festo, optimum factu reputavit... Hinc probosum illud effatum: *Lutetia Parisiorum Missae utique praestat!*

Henricus autem quum primum est auspicatus, Parisios ad meliorem spem erexit, atque haec opinio per hominum animos pervasit, fore ut quam exspectationem sui concitasset, hanc sustineret aliquando et tueretur.

Ipse felicis saeculi restitutor, vix ad rerum gubernacula sedet, a motuum civili oblivione clementiae laude inclaruit, et iam de se non spem sed fiduciam attulit. In augusta sede diu placideque Gallorum populo interfuit; et rex, multo tempore post, ad memoriam auspicatissimi Pontificis Maximi munera consignandam, columnam marmoream cum cruce ante Sanctae Mariae templum posuit, atque inter Canonicos ipse suique successores recenseri passus est.

Oh! si et Gallia suum noverit bonum!

Tunc adsurgunt qui quaerant: — Quid ei faciendum putas?

— Quod fecit nuper, adclamante universo late orbe terrarum, Italia nostra, quae divino veluti spiritu afflata, ad Pontificem Maximum conversa, salutem sibi est adprecata atque obtinuit, confecto cum Ecclesia foedere, et indicta pace, ut inter Patrem filiosque fas est, omnibus ablegatis ambitionis consiliis. Et omnes Pontificem Maximum salutant: Quod felix faustum fortunatumque fiat!

Uno ore omnes repetunt: *Fiat!*

SUBALPINUS.

*Fertilis, assiduo si non renovetur aratro,
Nil, nisi cum spinis gramen, habebit ager.*

OVID., Trist., V, 12, 23.

COMMUNIAE VITAE

Consultum et patrocinium in iudiciis.

Lis ordinariae cognitionis (disceptationis) mihi est, cum... — Controversiam formulae communis (iudicii et moris communis) habeo cum... — Causa recuperatorii usus et iudicij (Lis recuperatoriae formulae ac disceptationis) agitatur inter me et...

Causa capititis (lis capitalis; noxae capitalis causa) in me promovetur. — In causam extraordinariam (extra ordinem) sum ad ductus; volo te peritum iuris consulere (interrogare, percunctari). — In causa quae pro me agitur peritorum consulta flagito (peritorum responsa peto); tuum itaque requiro.

Velim te ad hanc meam causam con feras (huius causae tuum studium applies [dices]; omnes animi tui vires ad huius causae studium conferas [adiungas; appellas]). — Tu, velim, causam meam quanto poteris studio complectare (causae cognitionem et defensionem studiose colas; in hanc causam omnem animum adicias; [mentem applies; totum te adiungas]). Causam meam ad te patronum (ad commentationem et meditationem tuam) de fero.

Causam meam dicas (agas; defendas; tuearis, patrocinérис). — Apud iudices pro me dicas (litis defensionem exsequaris). — Te meum patronum praebreas (defensorem praestes; tutorem exhibeas).

R. — Causa egregie ab iure instructa est (ab iuris auxiliis munita; ab iuris praesi diis parata); itaque facile eam obtinebi mus (tenebimus; vincemus; iudicio conse quemur; auferemus iudicium sententias). — In causae iudicio victores abibimus. — Ex litis iudicio superiores discedemus.

Causa anceps (dubia; incerta; perplexa; dubii juris; ancipitis admodum iuris; aequitatis parum exploratae) appareat: cavillandum itaque in ea est (captionibus lis est exercenda; actionum formularumque argutiis implicanda). — Captionum pedicis in hoc iudicio est morandum, serendaeque sunt lites ex litibus. — De nihilo (pro re nihili) certandum (contendendum) in tua causa est. — De re vel levissima hic oportet altercari (morosum se gerere in re nihili). Causam tuam tractabo, sed ea cadet (eam amitteremus; item perdemus). — In causa concidemus. — Causae (litis) iacturam faciemus (patiemur). — Damnatus e iudicio abibis (dimitteris; discedes).

Illata convicia.

A Titio mihi est factum (dictum) convicium. — Titius me convicio affecit (pettit; pupugit). — Titius male dictis me lacerat (proscindit; incessit; exagitat; vexat). — Titius probris omnibus me oneravit (convicis insectatus est; verberat; persecutur; operit atque opprimit; concidit). — Titius in me turpiter debacchatur. — Titius in me voces contumeliosas iacet (immittit; confert; congerit; coniicit; intorquet; probra ingerit). — Titius me contumeliose adhibet (ore impudenti, maledicta in me evomit; deblaterat; effutit). — Titius me maledictis saturavit (lancinavit; in me insaevit): in meo animo resedit illorum verborum aculeus (non mediocriter animus meus motus est verborum illorum acriore stimulo). — Molestius me tetigit (feriit; percudit; mo rdit; pupugit) Titii vocum sensus.

A Tito mihi illata est iniuria atrox (contumelia gravis). — Indignum (piaculare) facinus (scelus nefarium; crimen inexpiable) in me a Titio patratum est. — Expositus sum Titii iniuriis (iudibriis). — Odium, quod in me Titius conceperat, erupit (effudit; evomuit; profudit). — In me Titius conspirat. — Conspiratione facta a Tito lacessor (impetor; incessor); tu

iniuriam pro me persequaris (ultionem iniuria capias; sumas). - Tu fac ut iniuria haud inulta evadat (habeatur). - Iniuriam a me depellas (avertas; amoliaris). - Fac ut possim iniuriam ei reponere (par pari referre). - Qua ratione illatam mihi iniuriam eum aequa tractem? - Iniuriae ei quam rationem reddam?

R. - Iniuriarum memoriam tolli funditus ac deleri oportet. - Obruenda est illatae iniuriae memoria. - Iniuriae evellendae sunt ex omni memoria (conterendae sunt voluntaria opinione). - Amittenda (supprimenda) est iniuriarum memoria. - Offensiones et iniurias condonare (remittere; oblitterare) decet. - Offensionum præteritarum obliuione interposita, in gratiam Titii redire convenit.

Iniuriam accipere ac perferre debemus. - Ignominiae acerbitatatem devorare (sorbere; absorbere; exsorbere) viri humanitate praediti est. - Iniuriae nobis illatae voluntaria obliuione conterendae sunt (oblivione perpetua extinguae; ex animo delendae; e memoria deponendae). - Iniurias coquas.

Atqui cum nullo homine tibi prorsus convenit! - Tui mores ab omnium moribus abhorrent. - Alienus tu es ab omnium consuetudine moribusque. - Ita te morosum difficilemque præbes in consuetudine, ut neque tu quemquam, neque te quisquam ferre possit.

Mea sententia in pacem vergit (inclinat; fertur; propendet). - In pacis studia proclivior (propensior) sum. - Pacem sollicitare malo. - Pacis auctor inter vos esse volo.

Dissidentes Titum ac te studebo pacificare (conciliare; componere; coniungere; pacatos reddere; reconciliare; in concordiam adducere; in pristinam concordiam reducere). - Inter discordes vos pacem libenter reconciliabo (componam; consti-tuam). - Perturbatos vestros animos tranquillare (pacare) conabor. - Vestrarum animarum discordiam ipse definiam (se-

dabo; dissidium componam; controversiam dirimam). - Instaurabo inter te ac Titum benevolentiam. - Curabo ut mutua odia reiiciatis (ut odium amore commutes; ut, depositis odiis, mutuam benevolentiam suscipiatis). - Studium meum in hoc erit, ut inimicitias (simultates; odia) deponatis (abiiciatis; dimittatis; voluntaria obliuione conteratis). - De mea sententia (meo consilio) ita te geres, ut omnem ulcisciendi voluntatem ex animo deponas.

Dabo operam, ut Titii animus, qui ante erat, idem in posterum erga te sit (ut Titius sit in te, sicut antea, animatus). - Id pro viribus efficiam, ut si quid alienae opinionis aut parum amicæ voluntatis adversus te suscepit, totum illud abiiciat (dimittat; deponat). - Te cum Titio concordia constituam (in concordiam reducam). - Dissidentes vos ad concordiam (ad animorum mutuam consensionem) revocabo. - Omnem voluntatem in eo ponam, ut alter de altero, optime, ut par est, sentiat.

— Si id fueris consequutus, hoc beneficio (his gratis; favore) cogitationes meas viceris (superaveris). - Opus hoc tuum cum dignitate convenient. - Optime de nobis meritus eris.

(Ad proximum numerum).

I. F.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive præcepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 163. - Clysteres copiosius dati in dysenteria morbum exacerbant.

§ 164. - Si statim post dolorem excretio non fiat, in dysenteria, scito quod intestina tenuia sunt laesa.

¹ Cfr. fasc. mens. Iunii.

§ 165. - Febris raro supervenire solet apoplexia, præsertim pituitosae.

§ 166. - Si cathochus in ipsa accessione febris intermittentis, aut remittentis superveniat, durante accessione nulla contra eum præscribantur remedia; nam omnia erunt in perniciem aegrotantis, exceptis frictionibus et revulsionibus, quae adhiberi poterunt in accessione. Finita accessione, desinit quandoque et cathochus. Si vero non desierit, statim sanguis mittendus, aut purgandum pro indicatione utrumque. Si vero secundo supervenerit, mortem affert. Neminem enim liberatum vidimus, cui secundo cathochus supervenit (DODONAEUS).

§ 167. - In omnibus affectibus comatosis, præcipue lethargo et apoplexia, si pulsus ex parvo fit magnus, et sensim in magnitudine crescit, aegrotantes brevi moriuntur.

§ 168. - Observavimus in xenodochio (an. 1694), hyemali tempore Romae, quod quando apoplexia erant gravissimæ, etiam confirmatae, vesicantia non admundum conferebant, imo omnes fere tales aegroti moriebantur.

§ 169. - Spuma omnis lethalis est in apoplexia.

§ 170. - Si dolores in quacumque corporis parte periodice exacerbantur, et stata quaque hora recurrunt, peccans illorum materies in loco affecto non generatur, sed aliunde venit. In his casibus tribus horis ante invasionem detur lenis potio purgans, et sanabuntur; præcipue si imo ventri haec fiant.

§ 171. Ad dolores externos spiritus salis ammoniaci cum oleo amygdalarum dulcium mixtus breviter et feliciter proficit. Et didici per experientiam, quod spirituosa cum unctuosis mixta doloribus optime medeantur: non ita sola spirituosa.

§ 172. - Omnes fere convulsiones infantium e stomacho sunt, unde iis statim morbum solvunt lenia purgantia, præsertim infusum rhabarbari.

§ 173. - Tussis infantum fere semper a stomacho cruditatibus scatente esse solet: quo in casu semper stomacho prospicendum, non posthabitum tamen pectoris remediis.

§ 174. - In tussi sicca ex humorum acrimonia eorumque tenuitate producta usus lactis præstantissimum est remedium; ego uti soleo lacte cum iure carnum, vel aqua violarum cocto.

§ 175. - Si tussis cum febre pertinaciter afficiat aegrotum, et nullis cedat remediis, in tabem migrat, etiam si sanguis non spumatur.

§ 176. - In tussi præsertim pectorali purgantia, data practicorum fide, non liberant; imo si ex aëris inclemencia tussis contracta fuerat, plus nocent.

§ 177. - Boli ex butyro recenti cum saccharo mixti et vespere sumpti vehementissimas tusses catarrhales demulcent.

§ 178. - In tussi convulsiva infantum decoctio ex musco arboreo, præsertim ex queru pendente, omnium præstantissima est. Valet quoque in aliis morbis convulsivis.

§ 179. - Dolorem lumborum rheumaticum a nephriticò per hoc certissimum signum distinguere poteris: pete ab aegro, an dum in terram incurvatur, et exinde erigitur, cum difficultate erigatur, adeo ut per medium quasi scindi videatur. Si haec adsint, pro certo habeto dolorem illum non esse nephriticum, sed rheumaticum, productum scilicet ab acribus et muristicis salibus, per serosum humorem illic depositis.

§ 180. - Ad rheumaticos hos lumborum dolores potum lactis cocti cum aquae decoctione Theae et mane sumptum ad libr. unam circiter, felicissime sum expertus. Hoc idem remedium podagrī et calculosis forsitan obesset.

§ 181. - Melopeponum comestio podagrī et calculosis maxime prodest.

§ 182. - Dolores renū a quinque causis potissimum fiunt: fluxione scilicet (sive

humoris seroso-acris et corosivi depositio-
nem, ulcere, inflammatione, lapide et
abscessu.

§ 183. - In nephritide sensus subitaneus
rei pungentis, veluti aculei in regione
ureteris signum est certissimum calculi
hac parte iam impulsi.

§ 184. - Potus aquarum mineralium
calculos pellit, et ab iisdem praeservat:
ubi vero hae in promptu non fuerint,
substitui poterit decoctum ex multo eryngio
parum contuso factum, quo vinum
album diluatur, et copiose bibatur. Siquidem
hoc remedium potenter sublevat cal-
culos et podagricos.

§ 185. - Facto semicupio, et praesertim
postquam dolor quieverit, si eadem vehe-
mentia die sequenti serius aut citius re-
vertatur cum vomitu, dolorem esse nephri-
ticum pro certo habeto.

§ 186. - In ipso paroxysmo doloris ne-
phritici lithontriptica et aperientia medi-
camenta obsunt potius, quam prosunt. Conser-
vunt contra emollientia, laxantia, an-
odynæ, etc.

§ 187. - Lenia purgantia et clysteres
summum levamen afterunt calculosis et
podagricis.

§ 188. - Dolor fixus in regione renis,
et vomitus continuus sunt praecipua signa
doloris renalis a calculis; cetera sunt
dubia et aliis ventris doloribus communia.

§ 189. - Pleuritici, quibus abscessus fie-
bant ad aures, omnes sanabantur, ut plu-
ries vidimus.

§ 190. - Obstructione viscerum labo-
rantibus, si facies vividum et naturalem
servat colorem, talium hominum curatio-
nem suscipito; nam facile sanabuntur.

§ 191. - In peripneumonia si febris,
tussis et reliqua symptomata exacerbentur
quinta die, quo maior exacerbatio, eo mors
citior die septima.

(Ad proximum numerum).

I. FAM.

ANNALES

Adhuc de pecuniis ex bello debitibus et de damnorum refectionibus.

Quaestio de resarcendis damnis ex
bello illatis et de solvenda pecunia pro iis
debita apud varias civitates, perdurat
adhuc: varia gubernia quae recens propo-
sita sunt, rata habebunt; sed hinc in Ger-
mania, inde in Gallia mutuae accusations
non cessant. Itaque Stresemannus debet
sese a suis civibus et nationalistarum fac-
tione defendere, affirmans recentes Youngi
propositiones ne sibi ipsi quidem neque
collegis administris probari; necesse esse
Germanos legatos promptos paratosque
coram « politico conventu » sistere, vehe-
menterque obstarre quibusvis inspectionis
condicionibus in Rhenana regione, quum
vacua ab exteris occupantibus facta fuerit.
Contra autem Gallicum gubernium stat
manipulus quidam militum ex bello redu-
cum; quibus administratorum Praeses Poin-
caré, quippe rebus gerendis acer atque
industrius vir, fortasse obiicit, si Ger-
mani excandescunt, Gallos iustas acquie-
scendi rationes habere.

Interea Mac Donaldus supervenit, *Laboristarum* illorum princeps, qui victores
in recentibus Anglorum comitiis, ut diximus, evaserunt. Is ad summa rerum
moderanda in Anglico imperio electus,
videtur rationem suam omnino circa exte-
ras res inducere velle, et iurium minorum
populorum tutorem sese eligere apud
ipsam nationum societatem; praeterea
iam in primo occursu cum Dawes, Civi-
tatum Septentrionalis Americae Foede-
ratarum legato, colloquium instituit de
rationibus navalium armorum deponen-
torum, quibus ceterae omnes nationes
accedere debeant; denique cum Mosco-
vitarum gubernio actionem resumpsit de
amicitia inter Anglicum et Russicum
populum constabilienda. Quae quidem uni-
versorum animos non nequeunt moyere...

Nationum societas.

Sed de minoribus gentibus tuendis
argumentum, et in ipsa Nationum So-
cieta, quae Matriti congregata recens
fuit, agitatum est, et... ad novum studium
demandatum.

**

Pax in Mexicana republica resti- tuta?

Quae in superiore fasciculo fieri posse
innuebamus, nempe ut religiosa pax in
Mexicana republica restitueretur, facta
hodie fausto auspicio nunciantur. Pactio
enim dicitur inita inter gubernium et
catholicam ecclesiam, cui liberum cultus
exercitum iterum conceditur. Dicunt etiam
tyrannidis illud exemplum, Calles, e pa-
tria demigrasse. Utinam Saulus alter, Dei
misericordia, fiat!

POPULICOLA.

(Ex historiis MAFFEI).

VARIA

Geographi et nautae veteres.

Orbem terrae universum tres in partes
divisit antiquitas; inventi demum hi novi
tractus quartam adiecere; si quarta appella-
landa est, quae una reliquis omnibus
magnitudine ferme par est. Neque tamen
haec recentiora tantummodo, sed veterum
quoque finium haud exigua spatia prisci
homines ignorarunt. Siquidem et in multis
regionibus describendis Ptolomaeus, vir
ceteroqui summus, et alii geographi insi-
gnes hallucinati sunt; et Africae terrae
quidquid a Praso promontorio, et interiore
Aethiopia, et Lunae montibus in austrum
extenditur, multaeque et ingentes tum
Africo, tum Indico litori obiacentes insulae,
quamvis accuratam eorum diligentiam
notitiamque subterfugere.

De leone fabellæ.

II.

Leonis virtutes ab ipso narratae.

In primis veteres scriptores conqueror,
Qui me superbum conferunt frequentius,
Meisque fretus unice quod viribus,
Committam monstra saepe in omnes cri-
[mina].
Item quod fortior, nominor quod leo,
Iniustus, impotens, iure posthabito
Innoxios plecto, simplices et debiles;
Cum res sint aliae, mea sententia.
Meam pol causam tracto reverentiae
Honoris potius... Placet praemittere
Mihi quod iuvat hac in re pae ceteris.

¹ Cfr. ALMAE ROMAE fasc. VI an. MCMXXVI, ubi
Astrolobii descriptio ex ipso Maffeo relata est.

Scriptores namque, sacros quos vos dicitis,
Leonem laudibus decorant amplissimis,
Eumque semper in honore collocant.
Ei si conferunt corporis potentiam,
Addunt virtutem cordis iustitiam.
Quisnam me Iacob cumulavit melius,
Cum moriturus Iudee benediceret?

Nunc gratias fero, modo divitias,
Et amplitudinem, rebus in arduis,
At fortitudinem clare significo.
Omnes si reges fore firmos moneo,
Ero severus vindex et iustitiae.
Ipsos prophetas transgressor punio,
Vel si tantillum recedant a tramite.

Et Amos pastor in desertis vicitans,
Ut infideles a peccato revocet,
Deum leonem locuturum nuntiat.

Moror cur tantum vanis in sermonibus,
Maiusque taceo paeclarum facinus,
Quod nostro Dominus committit generi?
Erat puniendus Daniel leonibus,
Ferunt ut leges Barbarorum veterum,
Ab impio falso damnatus iudice!
Reum quo faucibus consumemus citius,
Nos nimio provocamur ieunio;
Cum Daniel medium in lacum ceciderit,
Turpis inediae laboranter stimulis
Eum ut cito deglutiamus celeres.

Scis autem quidquid venerit divinitus?
Leones ad pedes provoluti martyris,
Eos pol! cernui devote lambiunt,
Ut regem protegunt, defendunt alacres.

Tunc Assuerus, tactus poenitentia,
Danielem salvat, reddit incolumem,
Damnat ad mortem Danielis iudices...
Et ipsi in lacum dum labuntur miseri,
Nostris sic faucibus lacerantur brevi.
Mei sed fratres ferociores apparent,
Damnatos mactant alacres qui faucibus
Quod ad puniendum se missos sentiunt,
Eosque in aërem suspensos macerant
Priusquam perditu proculbant ipsi humi!

Leonem sic celebrant scriptores veteres
Et usque merito tollunt honoribus.

I. B. F.

Pro iudicibus mensarum elegan-

tibus.

ESCARUM ORDO:

Tesserulae caseinae in iure fluitantes.
Agninae linguae frictae cum artola-

ganis.
Perna minutius concisa, in cibano
pressa, odoratis tuberibus condita.
Oluscula cum ovis subusta.
Cremor lactis, pistaciis infusionis, gelu
concretus.

**

Locosa.

Amicus Tuccio:

— Tanta acie oculorum fruor, ut optime
discipiam lucernae flamمام illic, in sum-
mae viae quarta ultimae domus contigna-
tione, pone fenestram, accensa.

TUCCIO: — Ipse autem non solum eam
video, sed [petrolei] eam alentis putorem
naribus percipio; tanto odoris sensu sum
praeditus!

TUCCIO amico:

— Persuasum mihi habeo hominem
stupidum esse in hac vita felicissimum.

Amicus:

— O te beatum!

**

Aenigmata.

I.

Pendens fulget integrum; caput demas.

Auscultat, integrumque gestat ostentans.

II.

Falcipotens fertur totum regnasse; cadente

Sincipite, Aeneae procubuisse manu.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1) *Sal-es-i-anus*. —
2) *Scipio*.

LIBRORUM RECENSIO

EUGENII DE ROSA, *De litteris latinis*
commentarii libri V, ad criticam artis ratio-
nem exacti. — Drepani, ex officina Radio Gu-
stavi Ricevuto equitis, a. 1927, pp. 531.

De hoc ponderoso volumine, latine con-
scripto, in quo litterarum latinarum historia
illustratur, iudicium pro sua parte, qua erat
peritia et perspicacitate, facturus erat claris-
simus vir Felix Ramorino, nisi mors, occulte
struens insidias, postremo eum, minime vero
hebetatum et consenescensem, sustulisset,
eiusque otium ac studium, litteris perutile,
prorsus infregisset. Exinde tardius his nostri
Commentarii paginis censura prodit, de quo
veniam possumus.

Laudabili quidem consilio, opus Henrico
Cochchia, perillustri Universitatis Neapolita-
nae doctori, pietatis gratique animi testimo-
nium inscribitur, quippe quod sub eius
auspiciis confectum sit. Censem auctor latinas
res latino tantum sermone pertractare opus
esse; qua in re apud nos iam insigni laude
floruerunt Philephus, Bembus, Pontanus alii-
que quam plures, qui latinam linguam ap-
prime callentes, antiquos numeros revocare
ausi sunt, et quidquid ad latinarum littera-
rum historiam pertineret, latine conscribere
non dubitarunt.

Quamquam non ii sumus, qui animum
aliis laudibus addamus ad originem, pro-
gressionem variasque latinarum litterarum
vices latine enarrandas, tamen negari non
potest quin auctor huic operi conscribendo
assidue attenteque incubuerit, sibique pro-
positum habuerit — quod minimie spernen-
dum est — iuvenibus docendi viam inituris,
adminicula quaedam afferre, quibus instructi,
probationis, sive periculi, difficultates et
salebras possint evincere.

Iam alibi de hoc volumine sententiam
nostram aperiuius, nec dubitamus quin eius
auctori probata sit, quamvis non omnino
cum eo concinens, quum in universum exi-

stimantes opus, quaedam diligenter perqui-
sita, opportune collecta, venusteque exarata
laudaverimus; quaedam vero, in quibus maior
rerum investigatio, stilique honestioris forma
desideraretur, reprehenderimus.¹ Illud enim
« ad criticam artis rationem exacti » quo
nobis Commentarii de latinis litteris insigniti
exhibitentur, non semper apte pleneque rebus
respondeat, quum complura insint, in quibus
auctor parum accurate de hac illave que-
stione tractat. Sunt enim quaedam leviter
praestrica, alia subobscura, alia vero docto-
rum virorum in philologia studiis recentiori-
bus repugnantia.

Neque scribendi ratio undique cumulate-
que perfecta est: quum quaedam insint, in
quibus sermo sese eleganter attollit, eodem
que fere tenore consistit; haud raro, autem,
humiliter serpit, ne dicam, in aliqua vitia
labitur. Nonnulla enim, propria italicae lin-
guae verba, sive *idiotismos*, offendimus,
quos auctor non cavit, quum mera latina
vocabula in eorum locum substituenda essent;
verborum orbis non semper opportune con-
cluditur, vocumque series ad similitudinem
nostri sermonis nimis accedit; in verbis ipsis
construendis nonnihil erratur. Iam alibi
indicem, sive elenchum, apposuimus, eorum
quaes, nostra sententia, non laude digna vide-
bantur; illum indicem, quem spatii causa
detruncavimus, proferre possumus; sed non
curandum est.

Uteumque censemus opus hoc, secundis
curis demandatum et retractatum, ubi pri-
mum fieri possit, vitiisque hic illie inspersis
opportune perpolitum, quae aut scribendi
festinatione aut quadam rei inseititia orta sunt,
haud dubiam utilitatem scholae afferre posse:
qua re id votis optantes, ex animo gratula-
mur auctori, quod tanto conamini par fu-
rit, tantaeque molis librum latine exarare
contenderit.

M. GALDI.

¹ Athenaeum. Studii periodici di Lett. e Storia
dell'Antichità, N. S. a. VII, fasc. II, maggio 1929
(a XVII della Rivista).

PAUPERRIMUS BONORUM [2]

CARMEN FRANCISCI SOFIA-ALESSIO

IN CERTAMINE POËTICO HOEFFFTIANO MAGNA LAUDE ORNATUM



9 MAR. 40

Iam satis in vicis ultro citroque vagatus
 Cum socio, fagi sub tegmine sederat olim,
 Collectosque cibos laetus miratur in herba:
 «Est hic thesaurus verus, fratercule, gaude,
 Non his nos opibus digni sumus», inquit. At
 [alter:
 «Tunc putas has divitias, Pater optime, dixit,
 Omnia cum desint? Non est hic splendida
 [mensa,
 Non est linteolum nobis, nec munda supel-
 [lex].
 At Pater: «Est nobis, ait, haec opulentia vera:
 Commoda, quae cernis, non ars iam nostra
 [paravit,
 Sed Deus ipse dedit: viridi de caespite men-
 [sam,
 lugis aquae fontes et frustula panis habemus.
 Cantemus Dominum, qui vixit pauper in
 [orbe].
 Sic dedit paucis contentus humillimus. Olim
 Lassulus annoso sub robore sederat ipse,
 Cum subito volucres variae venere per auras.
 Mox se demittunt; avibus scatet hortulus:
 [ecce
 Sub foliis latitant acalanthis, passer, alauda,
 Lusciniae, merulæ, mergi, raucaeque palum-
 [bes,
 Atque nigella canens viridaria lustrat hirundo.
 Pileolum gerit haec rubrum, fert illa galerum
 Atrum: iam resonant teneris concentibus arva.
 Tum sic alloquitur volucres Franciscus amice:
 «O genus aligerum, salve: nunc voce canora,
 Quotquot adestis aves, Dominum laudate
 [benignum.
 Ille quidem vestrum semen servavit in Arca,
 Atque dedit varias plumas nidosque tepentes,
 Et liquidas vobis auras et culmina celsa;
 Maturasque licet fruges decerpere campis.

Vos laudate Deum, tenui date gutture cantus». Tum circumvolitant volucres: mirabile visu! Exsultant, plaudunt, inhiant, ac plumea colla Tendunt: mellifluis iam mulcent cantibus [auras, Et circumveniunt Fratrem simul agmine [blando. Constitutus haec humero placide, cervice resedit Illa canens: nemus omne micat stridentibus [alis. At Cruce signat aves cunctas Vir denique [sanctus; Dismissae volucres abeunt, discedit et agmen, Inque Crucis speciem volitat sublime per [auras. Olim lusciniae cantus resonabat in agro: Franciscus fruitur modulis, dum coenat ad [umbras. Nunc varias, inquit, voces, numerosque ca- [noros Audi, cum dulci simul alite carmina funde, Care Leo, Dominumque canas tu voce poten- [tem. Deinde Leo: Nequeo dignas expromere vo- [ces. Moxque Pater cecinit sanctus; iam deficit, [atque, Decedente die, vox languida faucibus haeret, Victus Franciscus cedit; tum devocat ipsam Ad se lusciniam, pascit, demulcit amicam, Ac laudans: Tu me vicisti cantibus, inquit. At fera Francisci dictis animalia parent. (Ad proximum numerum).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.